



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

III. De Peccato Habituali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

QUÆSTIO III.

De Peccato Habituali.

Post actum
peccati re-
manet ali-
quid in ho-
mine, unde
is denomi-
natur pec-
cator,

30. **C**ertum est apud omnes, & indubitatum, post actum peccati physicè jam præteritum, adhuc hominem manere peccatorem; atque adeò aliquid in eo relinqui, per quod in esse peccatoris constituitur, & à quo denominatur peccator, quousque per veram pœnitentiam consequatur remissionem ipsius. Patet hoc ex S. Scriptura passim, ut ex illo Lucæ 7. *Mulier, qua erat in civitate peccatrix. Matth. 9. Publicani, & peccatores venientes discumbebant cum JESU. Rom. 5. Cùm adhuc peccatores essemus, & alibi passim.*

Quod in S.
Scriptura
dicitur,
Macula.

31. Hoc autem, à quo post transactum actum peccati denominatur quis peccator, vocatur in S. Scriptura *Macula*; ut Jeremiæ 2. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua. Et Josue cap. 22. Usque in presentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet. Et Ecclesiastici 31. Qui inventus est sine macula, & alibi. Unde homo postmodum à tali Macula, per peccatum contracta, dicitur maculatus, pollutus, immundus, coinquinatus, & abominabilis coram Deo, ut sæpissimè legitur in S. Litteris; à qua proinde Macula Regius Psaltes petivit abluvi, & mundari, dum Psalm. 50. oravit, dicens: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* His prænotatis sit*

Peccatum
habituale,
quid?

32. **CONCL. I.** Peccatum habituale nihil aliud est, quam peccatum actuale, cujus commissio physicè jam præterit, moraliter tamen permanet. Ita in re Doctores omnes, prout benè notat Mastrius in 2. disp. 6. num. 261. licet postmodum multum discrepent in assignando, quidnam sit illud, ratione cujus peccatum physicè jam transactum censeatur adhuc moraliter permanere, & durare, quousque per veram pœnitentiam retractetur, ac deleatur.

Illud quò
tale non ad-
dit novam
malitiam.

33. **CONCL. II.** Peccatum habituale quò tale non addit novam malitiam supra illam, quæ fuit admissa in instanti commissionis actualis peccati, quæque moraliter permanere dicitur. Ita rursus omnes Theologi, nemine discrepante. Hinc fit, quòd propter peccatum habituale præcisè, non mereatur homo majorem pœnam, ac supplicium, quantumcunque illud duret, quàm fuerit promeritus in illo instanti ac momento, in quo actualiter peccavit.

34. Dicitur notanter, *precisè propter peccatum habituale*. Quia si occurrat tempus, quo urget Præceptum eliciendæ contritionis, amoris Dei, aut receptionis alicujus Sacramenti, & tunc homo negligat mediante contritione, aut dignâ Sacramenti receptione sese restituere in statum gratiæ, atque expellere peccatum habituale mortale; jam committet is novum peccatum mortale propter violationem hujus præcepti, ac proinde absque dubio erit dignus majori pœna. Verùm hoc contingit non vi ipsius peccati habitualis quâ talis, ac præcisè sumpti, sed per accidens ratione alterius occurrentis præcepti, quod de novo violatur. Et hoc idem dicendum de eo, qui de peccato suo præterito habet novam complacentiam: siquidem per hanc committitur novum peccatum actuale. Cæterùm novo peccato actuali non superveniente, sola permanentia peccati habitualis non auget malitiam actûs peccaminosi præteriti, neque pœnam ipsi correspondentem.

Tamen per accidens, seu ratione alterius præcepti, quod violatur, quandoque novum peccatum committitur.

35. CONCL. III. Posttransactum actum peccati mortalis plura eveniunt in homine, peccante mortaliter. Primò enim is labitur in iram, atque inimicitiam Dei, cui æquè odio sunt impius, & impietas ejus, ut dicitur Sap. 14. Secundò, privatur homo per peccatum mortale gratiâ habituali, seu sanctificante: siquidem defectò gratiæ & peccatum sunt impossibilia, eo fermè modo, quo lux & tenebræ. Tertiò, remanet in homine reatus, id est, obligatio quædam ad pœnam ex actu peccaminoso præterito contracta: ita enim, ac homo peccat, obligatur is ad pœnam peccato suo correspondentem, quousque pœna illa soluta fuerit, ac remissa.

Posttransactum actum peccati mortalis plura eveniunt in homine; quæ?

36. Porrò Reatus iste dupliciter potest considerari; primò, prout talis obligatio ad pœnam dicit ordinem ad Deum, qui propter peccatum commissum decernit homini pœnam, suo peccato correspondentem: & talis reatus, seu obligatio ad pœnam, dicitur *Reatus pœna*. Secundò, prout ejusmodi obligatio ad pœnam respicit ipsum peccatum actuale præteritum, utpote ex quo proximè contrahitur, illudque immediatè consequitur: & talis Reatus, seu obligatio ad pœnam, prout respicit & proximè consequitur ad ipsum actum peccati præcedentis, dicitur proprio nomine *Reatus culpa*. Et in hoc reatu culpæ, juxta Doctorem Subtilem in 4. dist. 14. q. 1. & Scotistas, consistit formaliter Peccatum habituale; id est, ratione hujus Reatus culpæ censetur in homine peccatore, moraliter remanere peccatum suum actuale.

Reatus pœna, & reatus culpæ, quid?

Sententia Scotistarum.

le physice jam præteritum, donec per veram poenitentiam expietur, ipsaque gratia sanctificans recuperetur.

Hæc sententia nulli subiacet censuræ.

37. Dices. B. Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Ex omnibus* (est. que confirmata à Gregorio XIII. & Urbano VIII. in hujus Constitutione 289. quæ incipit, *In eminenti*, ac refertur tomo V. Bullarj Romani) inter alias Propositiones Michaëlis Baij damnavit hanc, ordine 54. *In peccato duo sunt, actus, & reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad penam.* Atqui hæc videtur esse ipsissima sententia ex Scoto nunc relata; ergo. Resp. negando minorem: siquidem Baius ille assererat, transeunte actu peccati in peccatore nihil manere, nisi reatum, sive obligationem; sicque volebat, in ipso etiam non remanere privationem gratiæ sanctificantis, prout liquet ex ejus Propositione rum relata, tum 41. in qua negavit, justificationem hominis fieri per gratiam infusam. Econtra Scotus, & Scotiæ unanimiter fatentur, remanere in peccatoribus ejusmodi privationem gratiæ sanctificantis. Tacentur plures aliæ disparitates, quæ legentibus citatam Bullam facillè patebunt; in qua simul §. 3. expressè notatur, quòd Propositiones illæ *in proprio verborum sensu, ab asser-toribus intento, damnentur.*

Solvitur obiectio.

38. Urgebis. Ergo peccatum habituale potius consistit in privatione gratiæ sanctificantis, quàm in Reatu culpæ. Probatur sequela. Peccatum habituale in eo formaliter consistit, quod tollitur in justificatione: sed in justificatione tollitur ipsa privatio gratiæ; ergo. Resp. negando antecedens, ejusque probationis majorem claritatis gratiâ distinguendo: Peccatum habituale in eo formaliter consistit, quod per se primò tollitur in justificatione, conceditur: quod per se secundo duntaxat tollitur, negatur major: sicque distinctâ minori negatur consequentia. Nam quod per se primò tollitur in justificatione, sunt ipsamet peccata physice præterita, & moraliter adhuc permanentia: censentur autem moraliter permanere propter Reatum culpæ, non propter privationem gratiæ. Et hoc amplius ex eo ostenditur: tum quia hac ratione peccata venialia habitualiter permanent; id est, non propter privationem gratiæ (hanc enim non inducunt) sed propter correspondentem Reatum culpæ. Tum quia alioquin omnia peccata mortalia habitualia forent ejusdem rationis, ac speciei: non minùs ac privatio gratiæ est æqualis, ac ejusdem speciei, in omnibus peccatoribus peccato mortali obnoxiiis. Uberior de hoc disputatio relinquitur Theologiæ Speculativæ.

Peccatum habituale cur potius consistat in reatu culpæ, quàm privatione gratiæ?

QUÆ